

THESES JURIDICÆ
DE
FEUDO NOBILI,

1657/10 b47
12

Quas
D. O. M. A.

Ex decreto & autoritate Magnifici & Nobilif-
simi Jctorum Ordinis in Illustri Salanâ,

PR ES IDE

VIRO NOBILISSIMO, AMPLISSIMO, CON-
SULTISSIMO ATQVE EXCELLENTISSIMO

DN. JOHANN. STRAUCHIO,

Jcto & Antecessore hujus Academiae Celeberrimo,
Consiliario Saxonico, in supremo judicio Ducum Saxo-
niae & Scabinatus Adfessore gravissimo, &c.

*Domino Praeceptore atque Promotore suo
summo perè observando.*

Disputationis inauguralis loco
PRO LICENTIA

Summos in Utroque Jure honores & privilegia
Doctoralia rite capeffendi

publico eruditorum examini submittit

ALEXANDER Hummel

in Auditorio Jctorum,

Ad d. 25. Jul. horis ante & pomeridianis.

JENAE,
Typothetâ SAMUELE KREBSIO,
ANNO M. DC LVII.

47





ΣΥΝ ΘΕΩ.

PROOEMIUM.



Uanquam nullam ferè in universo
jure materiam reperire liceat, in quà non
amplius alicui, dubias & difficillimas quæstiones
discutiendi variasque interpretum non modo ab
aliis sed à seipsis sæpè dissentientium opiniones
ad juris principia tanquam ad lydium lapidem
revocandi pateat Campus: hisce tamen illam juris partem, quæ
de usu feudorum prodita est, ita abundare, ut præ cæteris omni-
bus una hæc imprimis mirum in modum afflicta esse videatur, ne
mò faciliè inficias ibit. Præterquam enim quod constet, eos, qui
nobis jus feudale literis consignarunt, homines privatos tantùm
fuisse, nullam habentes leg'is faciendæ potestatè, isti insuper ad eò
sele ostenderunt justæ methodi insolentes esse, ut nullo adhibito
materiarum delectu, prout ipsis in mentem venerat, hanc juris ci-
vilis partem non disposuisse, sed distraxisse potius plerique fate-
antur. Etenim non tantùm titulus titulo connexus atq; coagmè-
tatus non est, sed in eodem titulo etiam res diversæ proponuntur,
atque ad nauseam usque repetuntur. Quam autem periculosa
sit hujus juris confusio & incertitudo, res ipsa satis testatur. Cum
non de suggrundiis, de glande legenda, de mortuo inferendo aut
aliis similibus quæstionibus in istâ juris parte disputetur, sed de
re omnium maximâ maximèque necessaria, quâ publica omni-
um ferè regnorum adeoque præsentis etiam Imperii Romano-
germanici forma & dignitas potissimùm continetur & conser-
vatur. Quam etiam ob causam ex istâ juris parte præcipuum quod-
dâ membrum s. articulum, qui est de feudo nobili, loco disputa-
tionis in auguralis assumere, & quantùm ingenii vires permittunt,
propter mirâ feudistarum in ejus descriptione variationem, in
genuinam ejus naturam paulò penitius inquirere bonoque cum
Deo sequentes de eo theses proponere libuit.

A 2

I. Est

45
73.6



FST itaque feudum nobile, per cuius concessionem ex potestate & voluntate concedentis nobilitas ejusq; jura alicui conferuntur.

Varia quidem apud feudistas in 2. f. 10. in quo primaria istius materiae sedes est, de hoc feudo nobili inveniuntur opiniones & descriptiones, sed omnes partim ineptae, partim imperfectae ac vitiosae. Qualis est (1.) quando dicunt: feudum nobile esse illud, cui vis nobilitandi à principe tributa est, sive, quod personam accipientis nobilitat. Gothofr. Ant. *Disf. feud. I. th. 6. lit. b. Wefenb. tr. feud. c. 2. n. 4.* Præterquam enim, quod unde hoc dignosci possit, non exprimat, non magis feudum aliquod personam nobilitare potest, quam locus sanctificare hominem. *c. 3. g. § fin. D. 40.* aut is, qui emit domum Decurionis, decurio inde appellari. *l. 4. C. de incol. lib. X.* Sicuti nec navicularius fit, qui emit rem naviculariam. *l. 2. C. de præd. § omn. reb. navic. lib. XI.* cum res hominibus accedant, conditionemque à persona accipiunt, non è diverso. *§ 37. d. R D, l. 1. in fin. C. d. imp. lucr. at. descript. L. X.* Præterea etiam hoc inconveniens ex eâ sequeretur, quod successores ignobiles si plebeji tam singulares quam universales, simul ac modo possessionem feudi nobilis acquisiverint, nobilitatem inde consequantur, quod tamen dictæ descriptionis Autores non solum ipsi negant, Gothof. Ant. *d. l. b. in fin.* sed etiam voluntati concedentis, quæ solum ad primum acquirentem ejusq; legitimos descendentes directa censetur, nec non experiētiae repugnare videtur. Obrecht. *d. jur. feud. l. 1. c. 5. n. 37. add. th. 7. in fin.* Laborat igitur ista definitio hoc vitio, quod contra regulam Logicorum latior sit suo definito. Multò minus (2.) probanda eorum opinio, qui à servitio & præstatione rationem appellationis desummentes tunc demum feudum nobile esse contendunt, quando sit præstatio nobilis, ut quia feudatarius solum solvit accipitrem, vel unum canem aut quid simile Tusch. *rom. 3. concl. pract. lit. F.*

concl.

concl. 142. n. 3. Uti n. hęc sine ullā probabili ratione asseritur; ita aliā insuper refutatione minimē opus habebit. Ejusdē farinae sunt etiam illae, quas ulterius recenset Tiraqv. *d. nobil. c. 7. n. 1. & seqq.* Obrecht. *d. c. 5. n. 20.* Verissimē proinde sentire videntur illi, qui feudum nobile à personā concedentis, potestatem & voluntatem per feudum aliquem nobilitandi habentis, denominari volunt, quo respectu longē facilius tolerari possit ea, quae (3.) à Vult. *1. f. 8. n. 9.* Niell. *Disp. 1. tb. 7. lit. c.* Hunn. *tr. feud. c. 6. decis. 3. opin. 3. p. 67.* affertur. Nobile scilicet feudum esse, quod ab eo, qui potestatem & voluntatem nobilitandi habuit, concessum est. Sed cum sic iterum dabitare liceat, an soli personae, an verò simul etiam rei, nobilitatis jura sint tributa; cum etiam de eo casu possit intēlligi, ubi concessio prius feudo seorsim quis deinde nobilitatur, nec ullus ad rem respectus habetur, ideoque adhuc ea verba, adjuccere placuit: per cuius feudi sc. concessionem. Ut scilicet intelligatur, non sufficere ad constituendum feudum nobile, nobilitate personam accipientem quocunque modo donari, sed præterea etiam requiri, ut concessio nobilitatis ad rem à concedente simul sit restricta, nec aliter ipsenisi per eam ejusmodi dignitatem alicui conferre voluerit. *Vid. Nobil. Dn. D. Struv. Consobrinus atq; præceptor meus atatem devenerandus Syntagm. jur. feud. D. 3. tb. 5.* Obrecht. *d. c. 5. n. 30.* Quanquam verò nobilitas à personā dependeat, eiq; soli & non rei propriē cohæreat, adeoque minus aptē feudum inde denominationem quandam accipere videatur: Attamen cum ea per rem feudalem conferatur, & præterea collatio illius faciat, ut respectu ipsius rei juribus quis fruatur peculiaribus, hinc meritò etiam feudo ob jura hæc, quae ipsi rei quasi sunt connexa, nobilitatis nomen tribuendum videtur. *Vid. Nobil. Dn. D. Struv. d. tb. 5.*

II. Hujus feudi nobilis à feudistis duæ constituuntur species: Regale nimirum & Nobile in specie sic dictum.

Sumitur itaque vox nobilis vel generaliter & latè, quomodo jam fuit definitum; vel specialiter & strictè pro inferiori ali-

quâ dignitate, qua persona vel res ex certis causis ab eo, qui nobilitandi potestatem habet, plebejâ conditione solum eximitur, & præclaris privilegiis condecoratur. Nobiliss. Du. D. Struv. *Execr. feud. 3. ths. Obrecht. d. c. 5. n. 44.*

III. Regale sive illustre feudum est, cujus investiturâ dignitas regalis confertur ab eo, qui potestatem conferendi habet.

Qualia feuda sunt ea, quæ conceduntur sub nomine Ducatus comitatus, marchinatus & c. 2 f. 10. Reink. d. reg. sec. & *Eccles. p. 1. cl. 4. cap. 16. n. 5. & 31.* Quamquam enim nonnulli putent, ad feudi regalis constitutionem non requiri, ut dignitas regalis alicui simul conferatur, idque sub speciali aliquo nomine veniat, sed omne illud regale censerit, quod à rege vel summo principe alicui conceditur, eamque ob causam ejus hanc descriptionem forment: quod supremi principis autoritate vel ab alio superiori non recognoscendo concessum est. *Hottom. in 2 f. 37. verb. beneficio regali.* Eorum tamen opinio non solum nullos adhuc nacta est defensores, sed etiam textui d. 2. f. 10. è diametro adversatur, ubi illi, qui de ducatu & similibus feudis à principe sunt investiti, ab aliis de plebe vel plebis parte simpliciter investitis expressè distinguntur, id quod colligi potest ex particulâ adversativâ *verò*, quæ semper diversitatem quandam à præcedentibus importat. *Ruding. l. Obs. l. non obs. d. 3 f. 34 verb. de beneficio regali & verb. à rege investitum.* Hisce verò aliisque similibus regalem quandam dignitatem inesse, indeque nomen suum sortiri satis constat *ex 1 f. 14.* procul dubio ideò, quod de ejusmodi feudis investiti ad regiâ quandam dignitatem potestatemq; propriè reges accedentem aspirant & præcellentem nobilitatem consequantur *Obrecht. d. c. 5. n. 33. Reink. d. c. 16. n. 21.* Cujus rei illustre exemplum in imperio nostro præcipuè nobis exhibent Electores cæterique principes & status imperii tam Ecclesiastici quam seculares, ratione scilicet suorum Archiepiscopatum, Electoratum, Episcopatum & similibus feudorum regalium, quæ immediate ab imperatore & imperio recognoscunt. *Gemmel. in comp. jur.*

jur. feud. p. 5. princ. & superioritatem territorialem in iis exercent;
Nob Dn Struv. *Exerc. feud. 6. th. 10. de quâ vid. Reink. d. tract. 1. cl. 5. cap. 3.* Hinc formulæ illæ ad prodigalitatem usque decantatæ promanarunt: Quod quilibet imperii status in suo territorio tantum possit, quantum imperator in universo imperio, de quo Gail. 2. O 57. n. 7. & 1. de pac. publ. c. 6. n. 10. Quodque ipsum imperatorem propter regalia investituram in suo territorio repræsentet. Wehner. in *observ. pract. verb. Stand des Reichs* quæ quatenus procedant, latius declarat Reink. *d. tract. 1. cl. 5. c. 6.* Carpzov. *d. Leg. Reg. c. 1. sect. 13.* Klock *d. contrib. c. 4. n. 313.* Cæterum de horum feudorum, præsertim verò Electoratum origine latius & accuratius differentem vide Nob Dn Struv. *d. Ex. 3. th. 6.* Knich. *Comm. de Saxon. non provoc. jur. verb. Ducum Saxonie. c. 4.* Hoc saltem interim notandum, quod feuda regalia Ecclesiastica à sceptro, quo investitura eorum expeditur, germanico idiomate vocentur *Scepterlehñ* / Feuda verò regalia secularia *Sahnenlehñ* / propter vexillum scilicet, quo principes seculares olim in publico confessu de illis feudis ab imperatore investiri solebant, quod in defuetudinem abiisse scribit Knich. *d. c. 4. n. 55.* Reink. *d. part. 1. cl. 4. n. 10.*

IV. Nobile feudum in specie sic dictum est, cujus investiturâ nobilitas (in specie sic dicta absque dignitate illustri) ejusque ipsi rei quodammodo in hærentia jura secundum voluntatem & potestatem concedentis conferuntur.

Nob Dn Struv. *d. Ex. 4. th. 8.* Cujusmodi feuda tres vasallorum ordines sec. *text. 2. f. 10.* tenuisse censentur. Quorum primus est Capitaneorum s. valvasorum majorum, qui scilicet ab ipso summo principe vel aliquâ potestate de plebe aliquâ vel plebis parte per feudum sunt investiti. Secundus verò est valvasorum simpliciter ita dictorum, & sunt illi, qui à jam dictis Capitaneis beneficium tenent. Tertius denique valvasinorum vel valvasorum minorum, qui ab istius ordinis secundi valvasoribus similiter

litter feudum acceperunt. Illa saltem inter ipsos adhuc inter-
cessit differentia, quod primi ordinis vasalli per infeudationem
à principe factam illicò effecti sint nobiles; Duo verò postero-
res ordines tum demum, si antiquitus beneficium tenuerint, & ita
ex lapsu temporis vasallis nobilibus annumerati fuerint. 2. f. 10.
vers. Ceteri verò. Hæc si hodiernis moribus accommodari debe-
rent, dictis Capitaneis illi status imperii, qui alia feuda immedia-
ta non annexâ dignitate regali possident, nec non liberi & imme-
diati imperii nobiles die freye ReichsRitterschafft in den dreysen
Kreysen/ Schwaben, Francken und Rhein/ haud ineptè compa-
rari posse videntur. Quamvis enim isti hodiè inter status impe-
rii non amplius connumerari possint, cum genuina illa & infalli-
bili notâ jure scilicet sessionis & suffragii in comitiis careant, nec
nomen eorum in receptâ *annoz. 1521.* conscriptâ imperii matriculâ
reperiatur. *Carpz. d. L. R. cap. 3. sect. 12. n. 29. Ruding. 4. O. 37. Spreng.
Syn. jur. publ. cap. 15.* Non tamen, liberum hunc equestrem ordinem,
subjectione & fidelitate immediatâ, quibus imperio est obstrictus,
penitus amisisse, nec amplius instar Capitaneorum ab ipso impe-
ratore vel imperio dependere, sed unâ cum territoriis suis liberis
sub alterius principis Jurisdictione redactum esse statim inde con-
cludi potest, quippe à quo ipse Imperator jam dudum Cameram
ad querelâ dictorum nobilium in mandatis seriò dehortatus est,
sicuti refert *Gylm. Tom. 3. Symph. fol. 235. voce Nobilitas. Klock. d. con-
trib. c. 4. n. 300.* Cum, etiam si non sit status, nihilominus quispiam
immediatus imperii subditus esse possit, prout elucescit *ex Recept.
imp. de Anno 1564. §. Und wollen wir: ibi: gegen denen so nicht
Stände des Reichs/ jedoch dem H. Reich immediatè unt. rworff-
fen.* Hinc non solum ab ipsâ Cæsareâ majestate pro benevolo ac
voluntario subsidio requiruntur, umb eine mitleidentliche Hülffe
ohne einigen gewissen Anschlag. *R. J. d. An. 1500. §. auch sollen die
Ritter und Knechte etc. §. An. 1566. §. Wir wollen auch aus glei-
chen bedencken. Limn. d. J. P. l. 6. c. 2. n. 10. §. seqq. Klock. d. imet.
c. 14. n. 46.* Sed etiam solum imperatorem pro suo magistratu &
ratione feudorum illorum, quæ ab imperio habent, simul etiam
Domino feudi recognoscunt. *Gylm. Symph. T. 1. p. 1. t. 3. vol. 7 n. 17.*

f. 239. vot. 12. n. 34. f. 263. & f. 216. n. 15. it. f. 238. n. 13. Wehn. *obs. pract. voc. Landsfürstl. Obrigkeit/ & voc. Landsteuer.* adeo ut in ejus & imperii præjudicium ne quidem cum juramento alienæ jurisdictioni sese submittere valeant. *Sixt. de regal. c. 4. §. 67. n. 68. Knich. in epop. n. 177.* Licet in alterius principis territorio nobilia & libera ipsorum prædia sita sint, *vid. Gail. d. ar. rest. c. 6. n. 8.* ac jure feudi ab eo dependant, per ea, quæ tradit *Gylm. Symp. T 1. p. 1. 4. f. 300. Knich. d. Sax. non provoc. verb. ducum Sax. c. 6. n. 3. & seqq. Klock. d. contrib. c. 4. n. 273. & seqq. usque ad n. 279. jung. th. 5. post princ. de quorum alienatione & aliis insuper ad ea spectantibus questionibus integrum juris responsum cum rationibus dubit. & decid. refert Befold. thes. pract. voc. Ritterschafft.* vel etiam alia insuper bona ab eo in feudum teneant. *Limn. d. 7. P. l. 6. c. 3. n. 3. & seqq. Spreng. d. c. 15. in pr.* Quia vasallus quat. talis non est subditus Domini *vid. 2. f. 5. Nob. Dn. Struv. Ex. feud. 8. th. 6. in fin. & Ex. 11. th. 2. Klock. d. tr. c. 14. sect. 2. n. 4. & 18.* nisi forsitan in ejusmodi loco, in quo inhabitantes de consuetudine subjectionis onus subire tenentur, simul domicilium suum foveant, quomodo in Electorum & Ducum Saxoniarum territoriis die Landsässeren vigere testatur *Wehn. obs. pr. verb. Landsässeren/ quod pertinet, quod de simultaneè investitis refert Dn. Struv. Ex. ad ff. 9. th. 52. ex Carpz. lib. 6. resp. 15.* Cujusmodi in casu Domino territorii, perinde ut alii subditi, homagium Erbhuldigung præstare tenentur & duplicem personam Imperialem scilicet & provincialem representare incipiunt. *Gail. d. cap. 6. n. 14.* Præterea quoque iisdem ferè, quibus aliàs immediati imperii cives gaudere solent, juribus & privilegiis fruuntur. Adeo, ut quod in principe die Landsfürstliche/ id in nobilibus immediatis die freye Adeltiche Obrigkeit appellari, eosque propter paritatem jurisdictionis à vicino principe in exercitio suo consueto regalium impediri non debere cum aliis asserat *Wehn. d. loc. add. Gail. 2. O. 62. n. 3. Myler d. princip. & stat. imper. c. 25. Spreng. d. c. 15. ubi 12. regalia ipsis attribuit.* Quæ autem an superioritas territorialis propterea ipsis sit adscribenda? Quod negotium Nobiliss. Dn. Præsidi, Præceptore meo colendissimo in Disp. quam de constitutionibus principum ante triennium præsidendo

B

hic

hic loci habuit ib. 7. vid. Klock. d. tr. c. 4. n. 296. & 300. & c. 14. n. 36. cum seqq. A medii deinde ordinis vasallis illi, qui ab immediato quodam imperii principe de comitatu vel alio feudo nobili ad provinciam suam spectante sunt investiti, non multum distabunt. *add. Reink. d. reg. sec. & Eccl. p. i. c. 14. n. 33.* A quibus si rursus alii de parte quadam subinfeudati fuerint, valvasinis isti optimè assimilari poterunt. Licet vero horum duorum generum vasallos ex longævâ feudorum possessione etiam ratione personæ nobilitatem consecutos esse *per d. text. 2. f. 10.* probabiliter concludi possit: Hodiè tamen absque generali imperii nostri consuetudine id vix asserere licebit, postquam nobilitandi jus de reservatis imperatoris esse dicitur. *vid. ib. seq. pr.* Tantum igitur de iuribus toti e. g. Ducatui imperatoriâ autoritate initio tributis ejusmodi de parte quadam investiti sec. voluntatem principis ratione rei in feudum datæ proportionabiliter participare ipsis concessum erit. *add. Reink. d. c. 14. n. 14 & seq. & c. 16. n. ult.*

V. Ad utrumque hoc feudum constitutum respectu concedentis requiritur (1.) potestas (2.) Voluntas, eaque (3.) non simplex sed per illam ipsam rem, quæ in feudum datur, certum aliquem hominem nobilitandi.

Nob. Dn. Struv. d. Ex. 3. ib. 5. Obrecht d. tr. l. 1. c. 5. n. 23. & 44. Ex primo itaque requisito fluit, quod licet quis aliàs bona sua pro lubitu in feudum dare possit, nobile tamen feudum, si potestate nobilitandi careat, constituere nequaquam possit. *Reink. d. c. 14. in fin.* Est enim potestas primum requisitum in omni actione, quia potentia est principium cujusque effectus, adeò ut si deficiat potentia, quicquid geratur, incongruum reputetur *Tusch. Tom. 1. conclus. 127. lit. A.* Quæ cum de iis solum intelligatur, quæ salvâ honestate & jure fieri possunt. *l. 15. d. condit. instit. Tusch. lit. P. concl. 460.* & verò jus nobilitandi ad jura majestatis majora referatur, nec nisi ab eo, penes quem summa in Rep. residet majestas exerceri soleat, hinc ultro sequitur, in nostro imperio à nullo præter imperatorem & eos, quibus præterea ex speciali ipsius concessione

fione competit feudum nobile constitui posse, vid. *Limn. d. J. P. lib. 6. c. 1. n. 29. & seqq. Carpz. d. Leg. Reg. c. 3. (c. 13. n. 47. & seq. quare etiam de reservatis imperatoris esse dicitur. Klock. d. contr. c. 3. n. 54.* Huic jam proximè etiam voluntatem accedere necesse est: *Goth. Ant. D. Feud. 1. th. 6. lit. b.* Sicuti enim illud, quod nostrum est, sine factò & voluntate nostrâ ad alium transferri nequit *l. 11. d. R. J. §. 41. d. R. D.* Ita deficiente summæ majestatis voluntate nemo nobilitatem per feudum impertiri vel propriâ autoritate sibi ipsi arrogare poterit, etiam si prædium aliquod ab eâ in feudum accipiat, cum feuda sine nobilitate dari possint, & nobilitas sine feudis. *Ant. d. lit. b.* Ista vero nobilitandi voluntas duplici modo declarari potest *expresse sc. & tacite.* Illud fit, quando quis vel ab ipso supremo principe vel ipsius nomine & autoritate ab alio in Ducem, comitem &c. vel etiam nobilem in specie *zum Ritter* prius evehitur, & simul in signum collatæ dignitatis de beneficio quodam investitur. *Obrecht. d. jur. feud. l. 1. c. 5. n. 36.* Hoc verò si vel (1.) quis sine præcedente speciali e. g. Ducis creatione ditionem quandam sub nomine ducatus vel feudi nobilis in specie ita dicti acceperit. *d. 2. f. 10. pr. Tiraq. d. nobil. c. 7. n. 14.* quem modum etiam adhuc hodiè valere putamus. Quamvis enim *Rosenthal c. 2. concl. 2. in fin.* de consuetudine quâdam imperii testetur, quâ de ducatu vel alio feudo majori s. regali simpliciter ab imperatore investitus non Dux &c. saluteretur, sed pro nudo possessore *Zunhaber des Fürstenthumbs oder Graffschafft &c.* habeatur. Ea tamen hoc in casu, quo jam primùm ditio quædam sub nomine ducatus in feudum conceditur, locum habere vix poterit. Cum enim concedens sciat vel scire debeat, ejusmodi dignitatem propriè personæ qualitatem esse, eiq̃ue primariò inherere, rei verò saltem secundariò & sec. quid inesse posse, hoc tamen non attento nihilominus dicto modo feudum ejusmodi de novo constituat, idè nihil aliud inde, quam ejus, personam accipientis simul nobilitandi, voluntas colligi potest juxta vulgaram regulam: *Qui vult consequens, vult etiam antecedens l. 2. d. Jurisd.* Non secus ac servus, quem contra prohibitionem juris quis sibi in testamento suo in hæredem elegit, ex præsumtâ testatoris mente cum libertate institutus esse censetur. *§. 2. f. qui &*

ex quib. caus. De alio itaque casu videlicet feudi regalis, quod ex
 causa quadam jam noviter imperio fuit apertum, rursus alii sub
 antiquo nomine concessi erit accipienda. *vid. ib. seq. in fin.* cum
 consuetudo strictè debeat intelligi ac interpretari Nob. Dn. Struv.
Ex. ad ff. 2. ib. 50. Vel (2.) quispiam de plebe aliqua vel plebis par-
 te investitus sit cum in finem, ut hujus intuitu officium quoddam
 vel servitia militaria Ritterdienste in se suscipiat, indeque hono-
 rifico aliquo titulo s. nomine. e. g. Capitanei insignitus fuerit.
d. 2. f. 10. vers. qui verò de plebe. Vel (3.) alicui nobilitandi potesta-
 rem habenti ab alio vavasore inferiori s. subvasallo per tempus
 aliquod militaria præstita sint officia, quò referri posse videntur
 verba *d. 2. f. 10. si antiquitus beneficium teneant. add. Obrecht.*
d. lib. 1. c. 5. n. 27. haud secus ac ille, qui lateri principis permissu
 ipsius adhæret, pro nobili habetur. Tiraqu. *d. nobil. c. 6. n. 10.* Quan-
 quam etiam, si quis verba *d. c. 10. de consuetudine* accipere velit,
 nihil alieni à nobis dixerit, cum sicut leges expressâ ita consue-
 tudo tacitâ summa majestatis voluntate nitatur. *vid. Nob. Dn.*
Struv. Ex. ad ff. 2. ib. 19. eaque aliàs etiam hominem ortu ple-
 bejùm reddere possit nobilem sec. Tiraqu. *d. tract. c. 10. n. 1. & seq.*
 Quodnam verò temporis spatium requiratur ad hoc, ut quis ob
 præstita servitia in numerum nobilium tandem computetur,
 cum nullibi sit expressum, meritò arbitrio judicis relinquendum
 erit per *l. 1. §. ult. ff. d. jur. delib. l. 13. ff. d. testib. l. 1. §. 1. in fine d. effract.*
 Denique (4.) tacita nobilitandi voluntas adest, si infeudationi
 feudi nobilis ab inferiori quodam principe factæ summa maje-
 stas non contradicat, sed facto ipso approbet. *arg. l. 1. §. 6. in fin. C. d.*
vet. jur. enuel. Tiraqu. *d. tr. c. 7. n. 5, 13. & seqq.* Reink. *d. tr. l. 1.*
cl. 4. cap. 14. n. 32. add. Klock. d. contrib. c. 4. n. 274.

V I. In accipiente verò requiritur, (1.) ut tam
 feudi, quam ejus, quæ per illud offertur, nobili-
 tatis capax sit, animumque (2.) unà cum re illam
 acceptandi habeat. Quibus præsuppositis ipsa
 deinde ejus, perinde ut aliorum jurium in re,
 subsequitur constitutio & acquisitio.

Hinc

Hinc non solum jure excluduntur illi, qui ad recipiendam nobilitatis dignitatem plane sunt indigni, *l. fin. C. d. stat. & imag. de quibus, an & quinam sint: vid. Limn. d. J. P. l. 6. c. 1. n. 51 jung. tb. seq. circ. fin.* sed etiam, qui tanquam inhabiles, (licet alias per se nobilitatem optimè mereantur) feudum acquirere prohibentur, de quibus itidem, an interdum dentur. *Vid. Dn. Struv. Ex. feud. 5. tb. 12. & seqq.* Animum autem nobilitatem cum feudo acceptandi à parte investiendi, ut in omni alià donatione, ita & hie accedere oportet per *l. 55. d. O. & A. l. 19. § 2. ff. d. donat. l. 26. C. cod.* aliàs voluntas concedentis nihil operabitur. Nec enim beneficium invito datur. *l. 69. d. R. J.* Cæterum de ipsà constitutione & acquisitione, quæ feudis nobilibus cum aliis communis est. *vid. Dn. Struv. Ex. feud. 7. tb. 11. cum Exerc. seq.*

VII. Hæc dicto modo semel alicui feudo indita qualitas licet faciat, ut plerumq; peculiaria jura ipsi inhæreant, quibus quilibet deinde feudo hoc ad ipsum per investituram feudalem translato uti & frui possit: Ignobilis tamen persona, etiamsi à summo principe de novo sit investituræ, nobilitatem inde haud sperabit.

Sicuti enim aliàs semel probata qualitas adscititia postea tamdiu adesse censetur, donec ejus monstretur absentia *l. 51. de R. J. in 6. l. 2. C. d. profess. & med. l. 22. d. prob. Treutl. V. 2. D. 4. tb. 12. in fin.* Ita etiam prædiis quibusdam iniriò tributa nobilitatis jura, etiamsi defunctus sit primus acquirens, iisdem semper infixæ manent & unà cum ipsis ad quemlibet possessorem transeunt. *arg. l. fin. C. d. præd. & omn. reb. navic.* nec prius extinguuntur, quam ipsum extinctum sit feudum, vel ab ipso concedente contraria voluntate rursus adimantur. *add. Klock. d. contrib. c. 4. n. 278.* Haud secus ac feudum ignobile s. plebejum à nobili acquisitum suam pristinam retinet qualitatem, iisdemque, quibus antea erat, oneribus obnoxium manet. *Klock. d. tr. c. 14. n. 18. & 28.* Cui non obstat (1.) quod nobilitas ista realis ab initio sine per-

sonali constitui nequeat, adeoque unâ expirante & altera expirare debeat. *l. 35. d. R. J.* (2.) quod sese respectu personalis instar accessorii habere nec sine suo principali subsistere posse videatur. *l. 178. d. R. J.* Quanquam enim utraque nobilitas ab initio simul & uno actu concedatur, nec personâ penitus ab eâ exclusâ, soli rei accommodari queat. *ib. preced.* Ex istâ tamen simultaneâ constitutione & conjunctione satis abunde quoque colligitur, nullam aliam concedentis mentem fuisse, quam ut persona per rem & vicissim res mediante persona æquè principaliter nobilitatem accipiat, & utraque suam separatam distinctamque ab altera obtineat subsistentiam, nec imposterum una ab alterâ dependeat, quo casu oppositæ juris regulæ officium suum omnino perdunt. *Canis. in c. 42. d. R. J. in 6.* Cujus rei exemplum dari potest in obligatione duorum reorum, quorum alter interdum salva manente in alterius personâ obligatione per pactum liberari potest. *arg. l. 25. junct. l. 23. ff. d. pact.* Nob. Dn. Struv. *Ex. ad ff. 6. th. 50.* Deinde etiam novum non est, ut, quæ semel utiliter constituta sunt, durent, licet ille casus extiterit, à quo initium capere non potuerunt. *l. 85. §. 1. d. R. J. l. 140. §. 2. d. V. O.* Sunt autem istiusmodi jura potissimum (1.) quod vasallus s. possessor de feudo nobili, pro quo Domino suo præstat servitia, collectas solvere regulariter non teneatur *Tiraq. d. tr. c. 20. n. 164. Modest. Pist. conf. 9. n. 49. Vol. 2. latè Klock. d. contrib. c. 14. sect. 1. n. 12. & sect. 2. n. 1. cum seqq. ubi etiam unam vel alteram limitationem subjungit.* (2.) quod talia feuda etiam si in investitura nihil de eo sit dictum, nihilominus vel territoriale superioritatē, vel regalia (*hæc duo enim differre probat Reink. d. tr. p. 1. cl. 5. c. 2. n. 41. & cl. 4. c. 16. n. 29. Klock. d. contrib. c. 3. n. 15 2. & seqq.*) vel denique omnimodam jurisdictionem annexam habeant. *Guid. Pap. decis. 387. n. 1.* Cum enim ex solâ qualitate vasalliticâ inferri nunquam possit, quod quis ratione rei in feudum acceptæ Jurisdictioni Domini subiciatur. *vid. ib. 4. in med.* ideò necesse est, ut illa, quam hactenus ipse Dominus in territorio istius feudi exercuit, Jurisdictio unâ cum feudo in vasallum quodammodo transeat, & ipse quandam *à v. rex. galias* speciem in illo præ se ferat. Secum namque pugnare videtur, uno eodemque respectu & vasallum & subditum esse.

Hinc

Hinc si cum reservatione territorialis superioritatis vel (ratione feudi nobilis in specie ita dicti) superioris s. altæ Jurisdictionis feudum sit concessum, ita ut non tam ad servitia feudalia, quam onera realia aliaque, quæ subjectionem quandam important, ipsi Domino investienti respectu istius feudi ab eo accepti sit obstrictus, verum nobilis feudi nomen vix merebitur. *add. Guid. Pap. decif. 386. Klock. d. contrib. c. 14. n. 18. & 28.* Quamvis è contrario à concessione omnimodæ Jurisdictionis vel mixti & meri imperii ad feudum nobile concludere non liceat. Aliàs namque etiam ille imperii princeps, cui nobilitandi potestas non est, castrum, quoddam vel pagum cum superiore & inferiore Jurisdictione, concedendo nobile feudum constituisse dicendum foret, id quod ea, quæ *th. preced. 5.* dicta sunt, non admittunt. Præterea quoq; (3.) ii, qui istiusmodi feuda ab imperatore & imperio immediate possident, eorum intuitu, licet non sint status imperii, nihilominus tamen constitutionibus imperii fruuntur & quoad illa in Camerâ conveniri debent. *Gail. d. arrest. c. 6. n. 9. add. i. amen. th. 9. & 12.* Unde nobiles quosdam aliàs Landsassios ratione aliquorum bonorum, quæ *Sattelgüter* dicantur, singulariter in hoc, ut ratione illorum ipsis processus in Camerâ decernantur, privilegiatos esse testatur *Gylm. Symph. T. 3. t. 235. Wehner. Obs. p. m. l. voc. Sattelgüter. Ruding. 4. 0. 37.* Quo minus verò propter hæc ipsi rei in hærentia jura personam ignobilem tale feudum acquirentem sine novâ concedentis voluntate nobilitas sequatur, præter supra dicta *ib. 1.* etiam illa adhuc obstat ratio, quod ita paulatim summæ majestatis jura non sine ipsius gravi præjudicio & Reipubl. detrimento minuerentur. Dum non amplius, ut deceret, nobilitas virtute, sed pecuniâ æstimaretur *Tiraq. de nob. c. 7. n. 14. & nemo faciliùs quam divites rustici adeoq; planè indigni ad hanc dignitatem aspirare possent. Gylm. Symph. T. 4. p. 1. V. 30. n. 76.* Cum tamen iis solùm nobilitatis jura sint tribuenda, quos virtutum probant ornamenta, honorumque decorant insignia *per l. fin. C. d. stat. & imag. l. n. s. i. ff. d. muner. & honor.* Quo nomine maxime laudandus Dux ille, à quo quispiam sub rusticis moribus & vita incultâ nobilitatem petens tale responsum tulisse fertur:
Divi-

Divitem te facilius possem facere, nobilem nunquam possem.
Tiraqv. *d. nobil. c. 6. n. 25. in fin.* Et hoc adeo procedit, ut nec ab ipso summo principe noviter de hoc feudo investitus vasallus nobilitate donatus presumatur. Cum enim ea, qua *ib. preced.* allata est, ratio hic omnino cesset & huic rei jura illa non demum sint conferenda, sed ex prima constitutione ipsi adhuc insint, ideoque etiam id, quod supra de nobilitanda simul persona dictum, locum hic sibi vindicare non poterit. Et quamvis de jure feudali Longob. aliud dicendum videatur propter generalia verba *d. 2. f. 10. pr.* Et in Saxonia quoque in feudis regalibus observetur. *Lehn. c. 21. in fin. ib.* Es erhöhet nichts des Mannes Schild noch seinen Adel / denn Fahnenlehn / ob ihme das geliehen wird. Matth. Coler. *decis 207.* Goth. Ant. *Disp. feud. 1. 1. 6. lit. b.* Huic tamen nostri imperii consuetudo, cujus mentio *d. ib. preced.* facta, hodie profus repugnat, secundum quam de hisce feudis simpliciter investiti Inhaber der Herrschaft &c. recte appellantur à Gail. *de Arrest. c. 6. n. 9.* Quoniam itaque non minus ignobilibus & plebejis, quam nobilibus feuda nobilia sibi comparare & possidere licet. Tiraqv. *d. nobil. c. 7. n. 14.* Hippol. à Collib. *in nobili suo n. 28.* Hinc etiam à possessione eorum certum nobilitatis argumentum desumi nequit. Gylm. *T. 4. p. 1. V. 30.* Nec enim aliquid probat hoc esse, quod ab eo contingit abesse. *l. 10 C. d. probat.*

II X. Exposita hæc tenus feudi nobilis constitutione, & naturam sequitur ut de *judice* potissimum dispiciamus, coram quo quisque, si opus est, jus suum, quod propter istiusmodi feudum sibi competit, persequi & ab alterius injuriam vindicare possit.

Ordinis equidem & materiae ratio exposceret, ut totam persequendi rationem, alterum illud juris cognoscendi membrum, Nob. Dn. Struv. *Exer. ad ff. 1. 1. 45.* quod in judicio feudali consistit & præter judicem etiam actionem Domino vel Vasallo competentem modumque procedendi includit, Nobil. Dn. D. Struv. *Exer.*

Ex feud. 1. th. 10. plenè pertractaremus. Quoniam tamen feuda nonobilia reliqua duo cum aliis feudis communia habent, & jam satis enucleatè tradita peti possunt ex Dn. Struv. *Disp. feud. ult. th. 2. §. 10. cum seqq.* ideoque negligentia vitium nos incururos esse non speramus, si, ne disputatio nostra nimium excreseat, ista tanquam superflua omittamus, & ex hisce iudicem solum, quippe qui feudis regalibus maximè singularis esse videretur, aliquantò latius nunc contemplemur.

I X. *Qui, si controversia de feudis regalibus immediatè ab imperio dependentibus inter duos imperii vasallos incidat, hodiè est ipse imperator.*

Reink. *d. p. 1. cl. 4. c. 19. n. 41. §. seqq.* & quidem adeò, ut non solum Camera Imperialis, utut aliàs supremum imperii tribunal, ab ista feudorum majorum dijudicatione penitus excludatur. Ord. Camer. *p. 2. t. 7. ubi dicitur: Ob auch Sachen vör sie/ Fürstenthumb/ Herzogthumb/ Graffschafft &c. belangend/ so vom Reich zu ziehen rühren/ so einem Theil gänzlich und endlich abgesprochen werden sollen/ derselbigen Erkänntnis wollen wir der Keyserl. Majestät/ oder ihrer Lieb und Keyserl. Majestät abwesen/ Uns/ als Römischen König vorbehalten haben. R Imper. d. An. 1521. tit. der Römischen Keyserlichen Majestät Regiment.* Rosenth. *d. c. 12. c. 1. n. 30.* Gail. *1. O. 1. n. 31.* Reink. *d. c. 19. n. 6.* Sed nec vicariis imperii de hisce feudis cognitio competat, sed futuro imperatori reservari debeat. *A. B. iii. 5.* ausgenommen der Fürsten Zahnenlehn/ denn derselben LehnVergleichnus behalten wir einem Keyser und Römischen König bevor. multò minus autem repudiato imperatore in arbitros de iis committi possit *arg. 2. f. 15. S. ult. §. 46. in fin.* Reink. *d. c. 19. n. 104. §. seq.* Myler. *d. princip. §. stat. imp. c. 20. p. 210. add.* Rosenth. *d. feud. c. 9. concl. 22. n. 4.* An verò etiam exclusis paribus Curia seu Principibus imperii ipse solus hujusmodi causas decidere possit, nec necessitate juris eos adhibere teneatur, dubio non caret? Nos exercitii gratià affirmativam defendere conabimur cum

C

Reink.

Reink. d. c. 19. n. 19. & seqq. Carpz. d. Leg. Reg. c. 9. sect. 12. n. 27.
Confer. instr. Pac. art. 5. n. 20. § **Den Gerichtlichen Proceß**
in fin. quippe quam etiam feudorum moribus congruere patet
ex 2. f. 34. pr. & 1. f. 18. pr. Diff. Limn. d. jur. publ. l. 2. c. 9. n. 32. &
54. cum alleg. Porro etiam occasione verborum: gänzlich und
endlich. quæ d. tit. 7. expressè sunt inserta, quaritur. (I.) Num
etiam in possessorio solus imperator exclusâ Camerâ de hisce feudis
judicet? Negativa namque inhærentes dicunt, ob hanc ipsam
causam vocem gänzlich adjectam fuisse, ut excludatur possesso-
rium, eò quod sententia in eo lata, licet ex quorundam opinione
pro definitiva habeatur. Gail. 1. O. 7. n. 4. non tamen per eam
parti victæ statim res omnino adjudicetur, sed ipsi ad petitorium
regressus detur. Reink. d. p. 1. cl. 4. c. 19. n. 51. E contrario vero as-
firm. sequentes præcipuè nituntur (1.) generalialitate textus, & quod
etiam in isto vocula gänzlich satis vim suam exerat, quando altera
pars à possessione penitus repellitur ita, ut primâ petitione
planè explosâ, proprietatis judicium intentare necesse habeat,
si modò aliquid velit & possit suâ intentione consequi. Arum.
Disc. 3. ad Aur. Bull. tb. 42. (2.) quod aliàs ille, qui de possessorio
cognoscit, etiam petitorium in fraudem Imperatoris ad se tra-
here posset, cum unum alterius sit præparatorium Gail. 1. O. 35.
n. 11. & continentia causæ non sit dividenda, sed propter conne-
xitate[m] coram uno judice terminanda. l. 10. C. d. judic. c. 1. in
med. x. d. seq. poss. Nob. Dn. Struv. Exerc. ad ff. 9. tb. 54. ut adeò
absurdi evitandi gratiâ vox gänzlich non aliter quam latè intel-
ligi possit. vid. Magnificus Dn. Richter Præceptor atque Patronus
meus omni honoris & observantia cultu atq[ue]m prosequendus. Cent.
reg. jur. l. n. 25. ad quod (3.) etiam facit, quòd sec. rectius sentien-
tes aliàs quoque in omni causa feudali non minus possessorium,
quam petitorium coram Domino vel paribus intentari debeat.
Nob. Dn. Struv. d. Ex. ult. tb. 4. Gemmel. comp. jur. feud. part.
11. pag. 130. vers. consequenter quaritur. Et huic posteriori opi-
nioni tanquam veriori etiam nos hac vice subscribere non vere-
mur cum Limn. d. c. 9. n. 78. Longius aberrare videntur illi, qui
(II.) dictum verbum gänzlich ad ipsum corpus & quantitatem rei
controverxiæ referentes dubitare volunt: An, si non de integro
feudo

7
feudo regali, sed certâ saltem ejusdem parte contendatur, adhuc
rationem solius imperatoris sit cognitio? Hanc enim dubitandi
rationem reliqua *d. t. 7.* clara verba facillè diluunt, utpote quæ
non illum, quem diff. volunt, sensum præ se ferunt, sed qualita-
tem sententiæ decisoriæ & privatoriam unicè respiciunt. *vid.*
Reink. d. c. 4. n. 100. Et hoc, quod hæctenus de iudice feudi rega-
lis immediati diximus, obtinere etiam in regalibus separatim in
feudum ab imperatore datis, licet forsân respectu feudi minoris
dignitatem regalem annexam non habentis alicui sint concessa.
Cap. Ferdin. III. *art. 25. verb.* der darüber (Zollsregalien) *esfallende*
de Streit-entscheidung vor niemand anders als uns gehörig.
Reink. d. c. 19. n. 49.

X. Quod si verò de feudis non regalibus s.
minoribus immediatis duo inter se conten-
dant, Camera Imperialem iudicem compe-
tentem esse plurimi statuunt, ita tamen, ut Im-
perator cum Camera hoc in casu concurrat &
præventioni locus existat.

Rosenth. d. feud. c. 12. concl. 1. n. 27. & seqq. Gail. 1. O. 29. n. 31
& seq. & O. 121. n. 3. novissimè Myler. d. princip. & stat. imp. c. 20.
pag. 209. ex hâc potissimum ratione, quod in *alleg. tit. 7.* tantùm
causæ feudorum imperii regalium exceptæ legantur, earumque
cognitio non tam ob qualitatem feudalem, ratione cujus
per se & naturâ suâ ad Dominum feudi spectat, quam propter
dignitatem & gravitatem istis feudis inhærentem soli imperatori
in signum præminentis superioritatis sit reservata, *Reink. d. c. 19.*
n. 67. quod cum cesset in aliis feudis minoribus, ideoque etiam
lites de hisce feudis orientes coram Camerâ ventilari ab eaque
terminari posse, non quidem tanquam ab ordinario loci, sed ut
iudice feudali, vices ipsius Cæsareæ majestatis tanquam Domini
feudi sustinente, eamque in administratione justitiæ referente.
Rof. d. n. 27. Ab hâc autem sententia recedunt alii, horum, per-
inde ut regalium, iudicem solum imperatorem constituentes,

quos cum suis rationibus refert Limn. *d. lib. 2. c. 9. n. 159. & seqq*
ut ferè imperatorià decisione hac in re opus esse videatur.

XI. Hæc ita in feudis immediatè imperio
subjectis obtinent: De cæteris namque, quæ
mediatè imperio subsunt, inter duos vasallos
orta contentio non à solo feudi Domino, sed ad-
hibitis simul paribus curiæ determinari debet.

Quamvis enim jus feudale Jurisdictionem istam cuilibet
feudi Domino tribuat *2. f. 55. §. præterea. c. 5. d. d. judic. c. 6. d. for.
compet.* Illam tamen, ut ex aliis locis apparet, simul inter feuda
dignitatis tam regalia, quam in specie nobilia ab ipso rege seu im-
peratore concessa, & alia per Ducum, Comitum &c. subinfeuda-
tionem constituta, differentiam adstruere videtur: quod de iis
semper solius Domini, regis videlicet seu imperatoris sit cogni-
tio, nec teneatur pares curiæ in consilium adhibere. *1. f. 18. pr.
junct. 2. f. 10. pr. vers. qui verò à principe verb. Capitaneus* (ided
forsan, quia indignum videbatur, regiam majestatem ita con-
stringi, ut lites de hisce feudis immediatè ab ipsâ profecta ob-
ortæ solâ ipsius sententiâ decidi non possint.) In hisce verò Do-
minus inferior excluso parium judicio ipse solus judicare ne-
queat. *d. vers. Præterea 2. f. 15. verb. cum suâ Curia Dominus. non
obst. d. 2. f. 34. pr. verb. Cætera verò causæ apud pares curiæ.* quæ
cum nullâ factâ mentione Domini priori membro opponantur,
inde videri posset, ipsum ab harum causarum dijudicatione
fuisse exclusum. Respondetur enim (1.) textum cum *d. vers. præ-
terea* esse conjungendum, causamque (2.) istius rei hanc fuisse,
quod compileribus juris feudalis non fuerit controversum,
ipsum Dominum posse judicare, ut videre licet ex *d. 2. f. 15.* sed
hoc solùm, an teneatur Dominus pares adhibere, id quod deci-
ditur *d. 2. f. 34. pr. & d. 1. f. 18.* in quo verba: *in judicio ex d. 2. f. 15.*
ita sunt explicanda: à Domino instituto, & cui Dominus præ-
est. Et istam juris feudalis de paribus adhibendis dispositionem,
cum nullo jure reperitur sublata; quin & hodiè sit observanda,
dubi-

7.
dubitari non debet. *arg. l. 32. C. de appell. Nob. Dn. D. Struv. Ex. feud. ult. tb. 5. pr. Cujac. de feud. lib. 1. tit. 15. & alleg. à Rosén. c. 12. concl. 1. n. 9.* Dissentiunt alii, cognitionem inter duos vasallos unà cum Domino paribus saltem eo in casu tribuentes, quando quæstio est inter duos assertos vel ambiguos vasallos, quorum uterque dicit, feudum controversum esse antiquum, & ad se tanquam agnatum spectare. *Curt. Jun. tr. feud. p. 7. q. 1. n. 6. Gemmel. comp. jur. feud. p. 2. p. 127. & alleg. à Rosénth. d. c. 12. concl. 1. n. 8. lit. h. & concl. 2. n. 17. lit. t.*

XII. Hactenus de iudice inter duos vasallos tam immediatos quam mediatos. Restat ut etiam videamus, coram quo controversia inter ipsum Dominum & vasallum finiri debeat. Et paribus Curia id munus in jure feudali deferri cum feudistis communiter asserendum videtur, sive principaliter sive per consequentiam, sive ipsum supremum feudi Dominum sive alium inferiorem causa concernat.

De lite principaliter Dominum tangente sunt textus *l. f. 22. §. ult. 2. f. 16. & 39. §. si inter. 2. f. 55. §. pen. Gail. 1. O. 1. n. 54.* quod verò idem obtineat, quando per consequentiam causa ad ipsum spectat, satis probat *tex. 2. f. 46.* in quo paribus Curia, h. c. vasallis ab eodem Domino immediato feuda tenentibus. *vid. Dn. D. Struv. Exerc. feud. 4. tb. 18.* nulla alia de causa cognitio tribuitur, quam quod in casu ibidem proposito vasallus succumbens adversus Dominum suum de evictione habeat regressum. Similis casus habetur *in 2. f. 15. add. Obrecht. d. jur. feud. l. 4. c. ult. n. 33. usq. ad n. 93.* Et hoc in tantum procedit, ut nec ipse imperator iudicium parium ejusmodi in casu effugere queat propter generalitatem textus *d. 2. f. 55. vers. præterea arg. 1. f. 13. in fin. &*

17. Ros. d. concl. 3. n. 12. Limn. d. 7. P. l. 2. c. 19. n. 76. Obrecht. d. c. ult. n. 33. Non obst. (1) quod sicut de jure civili procurator fisci in causis ad fiscum spectantibus judicare potuerit: Ita etiam & multò magis ipsi imperatori istud licere videatur. per l. 9. ff. d. off. procons. t. t. C. ubi caus. fise. l. 3. ff. d. his, que in test. del. l. 41. d. hered. instit. Præterquam enim quòd, ut ex dictis locis apparet, plerunq; non ipsi imperatores cognoverint, sed certos quosdam eam in rem judices habuerint, nemòq; regulariter in sua causâ judex esse possit. Vid. Dn. D. Struv. Ex. ad ff. 4. th. 55. etiam non nisi jure feudorum consuetudinario planè deficiente ad jus commune recurrere debemus. 2 f. 1. (2.) objicitur, quod cum omnis jurisdictio penes imperatorem sit, ac ipse superiorem non recognoscat, alius ejusdem judex esse non possit, quippe cui sese non submiserit. Bz. enim (1.) per instantiam, art. 5. A. B. ubi salvâ ipsius potestate supremâ Electorem Palatinum Rheni judicem sortitur. non obst. l. 4. ff. d. recept. arb. (2.) jurisdictionem istam ne in vasallo quidem, nedum in Domino subjectionem inducere. Vid. th. 4. in med. eamque (3) ex illo contractu, quo Dominus & Vasallus constituuntur, sec. mores feudorum venire, Imperatorem autem sec. jus naturale seu gentium ex contractu suo obligari dubium non est. Nob. Dn. Struv. Ex. ad ff. 2. th. 9. Quo ipso simul etiam quodammodo removetur eorum opinio, qui d. dispositionem art. 5. A. B. etiam in causis feudalibus locum habere autumant, quos latius refutat Reink. d. reg. sec. S. Ecc. l. 1. cl. 4. c. 5. Et hæcenus dicta de Domino à judicandi munere hoc in casu removendo procedunt, nisi litigantes vasalli omisâ fori declinatoria jurisdictionem Domini tacitè prorogarint per l. 77. ff. d. judic. Obrecht. d. c. ult. n. 179. Rosenth. d. c. 2. n. 21. ubi varias hujus rei ampliationes recenset.

XIII. Ut verò vel coram Domino feudi vel paribus Curia dicto modo judicium institui possit, duo insuper à feudistis requiruntur.

runtur. (1.) ut de feudo sive re feudali sit contentio. (2.) ut, litigantes aut reverâ feudi illius, de quo quæstio est, Dominum & vasallum, aut unius ejusdemque Domini vasallos esse certò constet, vel isti ad minimum tales sese asserant.

Prius equidem requisitum quod attinet, illud præcisè exigi satis patet ex. 2. f. 55. *vers. præterea junct.* 2. f. 39. §. *si inter.* in posteriori tamen etiam solam assertionem vasalliticam ad jurisdictionem hanc fundandam sufficere, proptereaque vasallum putativum non minus ac verum à Domino vel ejus curia vocatum se sistere debere ob text. 2. f. 15. *in fin.* & 46. *in fin.* negari non potest. *eo tantum excepto, quod, ubi cum Domino lis intercedit, adeoq; paribus cognitio competit, litis ordinanda gratia vasallus iste putativus insuper ab ipsis improprie prius investiri debeat, quo nim. ejus pares efficiantur 2. f. 20. non obst. d. 2. f. 39. vers. sed si nihil. Vid. Nob. Dn. Struv. d. Ex. feud. ult. th. 7. in fin.* Utut alii in casu, quo coram Domino lis agitari debet, dissentiant, putantes, non nisi inter vasallos, quorum uterque aliud adhuc feudum ab eò tenet, ejusdem cognitionem consistere posse. Obrecht. *d. l. n. 123. & 138.*

XIV. Cæterum si unum ex hisce requisitis prorsus deficiat, nec utrumque simul concurrat ita, ut vel de re allodiali, vel inter eum qui v. g. expectativam solum in feudo habet, vel inter vasallos non ab eodem Domino feudum recognoscentes quæstio vertatur, jurisdictionis ista feudalis fundari nullo modo potest, sed iudex loci ordinarius erit adeundus.

Nob.


Nob. Dn. D. Struv. *d. Ex. ult. tb. 7. pr.* Obrecht. *d. l. 4. c. ult. n. 93. & 107. ii. 134.* Mynf. *i. O. 99. & 5. O. 75.* Rosenth. *d. c. 12. concl. 2. n. 8, 11. & 12. cum seq.* nisi fortan Domino feudi ordinaria loci Jurisdictio simul competat, quo casu, an controversia feudalis sit, necne, parum attenditur. Curt. Jun. *p. 7. n. 9.* Rosenth. *d. concl. 2. n. 60. & sibi alleg. lit. n.*

XV. Non tamen è contrario positis istiusmodi requisitis statim hinc consequitur, quod Dominus vel pares in dictis casibus necessario cognitionem subire debeant litesque feudales ipsimet dirimere cogantur.

Quod si enim vel (1.) tam Domino quam vasallis alium adire placuerit, vel speciali pacto investitura adjecto de certo iudice sibi prospexerint, de quo Obrecht. *d. l. 4. c. ult. n. 115. & 162.* Rosenth. *d. c. 12. concl. 2. n. 52.* vel (2.) in provincia quadam aut curia consuetudine vel privilegio aliquo singulares sint constituti iudices feudales, ut: quando in hac vel illa Curia Dominus, vel Dominus & pares conjunctim iudicem constituunt feudalem aut curtis vulgo: *einen sehen oder Mannschfer* / ita tamen, ut is sit quasi praeses parium, hi vero ejus scabini & adfessores. *Vid.* Rosenth. *d. concl. 2. n. 43. & seq.* Obrecht. *d. c. ult. n. 164.* quomodo à nobilibus circuli franconici singulare consilium sive iudicium equestre *Ritterrath* constitutum & à Rudolpho II. imperatore confirmatum esse testatur Wehn. *obs. pract. voce Kreisstag* vers. *überdiss hat löblich* etc. aut (3.) Dominus fendi pares Curiae plane non habeat, (4.) alter litigantium eos in testes produxerit (5.) Dominus vel pares curiae ex justa & probabili causa ut suspecti reculentur Obrecht. *d. c. ult. n. 106. & seqq.* aut Denique (6.) dicti iudices in administranda iustitia nimis sint negligentes. Tunc certe quatuor hisce posterioribus casibus quandoque ad ordinarium loci, quandoque etiam ad superiorem; prioribus vero ad iudicem specialiter electum lites feudales pertinere ambigendum non erit.

erit. *Vid. dd. Aut. Nob. Dn. Struv. d. Ex. ult. th. 7. in fine. Curt. jun. p. 7. n. 14. Gemmel. comp. jur. feud. p. 11. pag. 130 pr.* Et hæc de iudice primæ instantiæ: Porro etiam aliquid dicendum adhuc esset de iudice secundæ instantiæ sive appellationis, sed cum non solum ob quæstionem illam præjudicalem supra in *thes. 10.* nondum decisam quodammodo suspendendum sit iudicium, sed etiam *text. 1. f. 22. & quæ habet Gail. 1. O. 1. n. 56. & 2. O. 156. Myns. 5. O. 5. & 90. n. 3. Rosenth. d. c. 12. concl. 20.* generalem quandam hæc de re instructionem suppeditent, ideoque pauca hæc ex istâ intricata alias nec tamen plenè ul- tibi elaborata feudorum nobilium materiâ delibâsse hæc vice sufficiat.

S. D. G.



SI datur insignis virtutis palma valenti
 Solvere belligerâ Gordia vincla manu:
 Hæc quoque danda tibi, cui tot superare labores
 Vis fuit, & nodos solvere jure graves.
 Ergo Diva Themis meritos mox reddet honores,
 Ingenioque feret præmia digna tuo,

*Cl. Dn. Respondenti honoris &
 amoris ergo gr. f.*

Christoph Philip Richter D.
 Com. P. C. Prof. P. Fac. Jur. Se-
 nior, & p.t. Decanus.

MUnera ruricola plenis dum fundit habenis
 Distendens spicis borrea flavæ Ceres
 Ingeni tu dona tui diffundis Amice,
 & docto Themidos pectore sacra doces;

D

Hinc

42
 7302



Hinc etiam Themis alma tibi sua dona refundet,
Et dabit è pleno prœmia larga sinu.
Gratulor, Et magno cedent tibi prœmia honoris,
Quæ tibi pro meritis donat amica Themis!

Clariss. Dni Candidato Consobrino &
amico suo singulariter dilecto
ex animo gratularur

Georgius Adam Struve
D. J. U. Prof. P.

Parrhasii ingeniosa manus sibi jura tabellæ
Vindicat, ars fundo dignior ipsa suo est.
Tu mihi Parrhasius, sedum dum nobile pingis,
Dignus es, hac fundum qui mereare manu.

Officii gratiâ scripsi ex tempore
J. Strauch D. Praeses.

Non spes, non votum, non somnus praeſtat honores;
Aſt hoc conciliant ſudor durique labores.
Qui cupit optatam metam contingere, cœtet;
Nam niſi certaveris cingunt ſua tempora lauro
Ardalides Muſæ, quoniam virtutis amara
Eſt via, ſpiſſis & ſemper circumdata ſeptis.
Et nemo fructus dulcem guſtare meretur
Virtutis, qui non ventos perpeſſus & imbres.
Cum ſic Aonidum Muſarum caſtra ſecutus
Hactenus Aſtræ ſoboles: Clariffime Fautor,
Ut decet egregium pietatis & artis Alumnum,
Continuo aggreſſus nodosi dogmata Juris,
Et ſolidos legum ſtudioſè evolvere nexus.
Præmia nunc igitur curis ſtudioq; fideli
Digna tuo capies, rubram capitig; coronam
Imponet Patrum ſeries dilecta Lyci.

Hinc

Hinc quoniam quibus ipsi gratantur amici,
 Guttur non rauco dicentes júbila læta.
 Cur ego conticeam? Votis ardentibus oro
 Terrarum Dominum, cui parent omnia soli,
 Ut Tibi collatum jam ritè secundet honorem.
 Urve valeque diu: Pondus Deus addito Votis.

Quod sanctæ gratulationis ergò Dn. Docto-
 rando apponere voluit ac debuit

Johan. Christopharus Hartmannus

Saxo-Hennebergicus Stud. Phil.

Impèrii Mòderator iis insignia Feudi
 De Regno benè qui demeruère dicat:
 Sic Themis & merito semper sua præmia confert,
 donaquæ pro magno digna labore parat.
 Ut quoquæ nunc capias insignia splendida Juris,
 stamine de feudo Te meruisse probas.
 Nec nisi ritè probas: felices gratulor ausus,
 & faveat coeptis Numina sancta precor.

Gratulationis ergò pauca hæc Clarissimo
 Dn. Doctorando, Cognato suo plurimum
 honorando scribere debuit

Johann. August. Struve.

Dum, quid sit, doctè pertractas, Nobile Feudum,
 Ingenium prædis nobile ritè Tuum!
 Nobilibus studiis hos Nobilitatis Honores
 Quarere, cura Tibi nobilis una fuit:
 Nobilis in præsens eadem est Tibi cura. Labori
 Nobilis, hinc, Feudi portio, cedat Honor.

Brevibus hæc Dno Cognato Suo, nobili hoc themate
 nobiles Doctoris in Utroque Jure Hono-
 res ambiendi adplausum venit

Christophorus Bartholdus Struve/
Parthenopolitanus Saxo.

Est



Est labor, est ingens, & fermè maximus, ante
Quàm quis scrutetur sinuosa volumina juris,
Nec non supremus juris, qui sperat honores,
Impendendus: sed tandem labor omnia vincit
Improbis, atque suos viridi Themis alma coronâ
Cultores cingit; quod tu quoque, Frater amande,
Testaris, qui nunc spaciola ferè æquora juris
Emenfus multos sudasti strenuus annos,
Adque ad pergratum meriti jam littus honoris
Jure capeffendum, quæ sit natura vasalli
Nobilis, ac ejus hodie, quæ jura revelans
Discutis. hisce tuis insta, Deus annuat illis,
Cœptis, mox capies certissima feuda Themistos,
Illaque Te fidum cupit investire vasallum.
Laudo tuos ausus: tantos benè vertat honores,
Hoc præcor, hoc voveo, quod faxit & almus Jova.

*Hec
Venâ non amenâ
Mente tamen serenâ
& ex interno affectu adicere voluit*

Johan Caspar Hummel,
Schleus. Fr.

F I N I S.



ULB Halle


3

005 125 669



2017





ft is
fi
mu
fe
ue
t; C
un
os l
grat
um
us l
tu
cap
um
ifus
hoc



THESES JURIDICÆ ^{1657/10 b77}
DE
FEUDO NOBILI, ¹²

Quas
D. O. M. A.

Ex decreto & autoritate Magnifici & Nobilif-
simi Jctorum Ordinis in Illustri Salanâ,
PRÆSIDE

VIRO NOBILISSIMO, AMPLISSIMO, CON-
SULTISSIMO ATQVE EXCELLENTISSIMO

DN. JOHANN. STRAUCHIO,

Jcto & Antecessore hujus Academiz Celeberrimo,
Consiliario Saxonico, in supremo judicio Ducum Saxo-
niæ & Scabinatus Adlesore gravissimo, &c.

*Domino Præceptore atque Promotore suo
summo perè observando.*

Disputationis inauguralis loco
PRO LICENTIA

Summos in Utroque Jure honores & privilegia
Doctoralia rite capeffendi

publico eruditorum examini submittit

ALEXANDER Hummel

in Auditorio Jctorum,

Ad d. 25. Jul. horis ante & pomeridianis.

JENÆ,

Typothetâ SAMUELE KREBSIO,
ANNO M. DC LVII,

14.